



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

46. Qui volunt ambulare in stolis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

Caluini  
artes, vt  
Scripturā  
Iudificet.

Iac. 2.

Gal. 5.

*bona quoque opera Deo placerent. Hæc ille. Artificiose laudē Zachæi à bonis operibus quæ Euāgeliū expressit, ad vnā fidē quā Euāgeliū tacuit, traduxit. Sed Scripturā nō minus propriè ex bonis operibus discernit filios Abrahæ quā ex fide, vt verba Christi citata nos docuerunt. Fides quoque non secus Deo placet propter bona opera, quā bona opera propter fidem. Imò *Abrahæ fides ex bonis eius operibus consummata est*, ait Iacobus, & *sine bonis operibus fides inanis ac mortua est*; nec filios Abrahæ sola fides facit, sed *fides per charitatem operans*. Ita totā hanc Zachæi conuersi commendationem ac laudem totāque hanc historiam Euāgelicam impius Calvinus penitus inuertit atque peruertit. Fingit postea *ex audita redemptione Ecclesie, & mundi reconciliatione per Christum, eiusque doctrinæ fide, salutem Zachæi originem accepisse*. Sed hæc fictio in litera Euāgelica nullum fundamentū habet, ideoque vt commentum humanum & Calvinianum penitus reijcienda est. Zachæi salus ex interna Christi gratia qua sese apud eū inuitauit, vt hinc Euāgelium narrat, originem accepit. Alia salutis eius origo extra verbum Dei fingenda non est.*

## IN LVCÆ CAP. 20.

46. *Qui volunt ambulare in stolis.*

Caluini  
maledicentia  
re-  
tunditur.

**S**CRIBARVM fastum & ambitionem ad vniuersum Catholicæ Ecclesiæ clerum maledicus Calvinus contorquet, sacrum Dei verbū transferens in maledicentię suę libidinem, sicut alijs suis dogmatibus Dei gratiam in luxuriam transfert. *Ratione (inquit) non caruit, Doctores ita vestiri, vt in eorum habitu plus grauitatis & modestiæ quam*

quàm in vulgari extaret. Scribæ verò id perperam ad luxum  
 & pompam conuerterant. Quod exemplum ad se traxerunt  
 sacrifici Papales, in quibus constat stolas nihil aliud esse quàm  
 superba tyrannidis insignia. Hæc ille non vt Scriptu-  
 rarû interpres, sed vt conuitiator maledicus: nec  
 certas personas perstringens, sed in vniuersû Ec-  
 clesiæ clerû virulentiâ suâ effundens. Tali spiritu  
 ducûtur, qui Euâgelicæ veritatis tot seculis deper-  
 dite restauratores, & noui totius orbis Apostoli  
 haberi volût. Hæc sanè Caluini vox superba ty-  
 rannidis insigne est. Quo per spicue demonstrat, quod  
 nunc calamo ausus est, id gladio se tentaturum si  
 facultas daretur, vt tanquam alter Nero vnum  
 toti clero caput exoptans, illud vnico ictu rese-  
 care posset. Nec enim sic vnquam Nero Romani  
 populi sanguinem, sicut iste hæreticus totius Ca-  
 tholici cleri infamiam & interitum sitiuit. Adeò  
 quauis vel capta vel quæsita occasione in vniuer-  
 sum cleri Christiani corpus, absque vllò discrimi-  
 ne, rabido ore fertur. Sed Dei beneficio solo latri-  
 tu nocuit, morsu petere non potuit. Quam tyran-  
 nidem Caluinus ipse Geneuæ exercuerit, nostri  
 in Anglia Caluinopapistæ scriptis libris ediderût.

## IN LVCÆ CAP. 22.

20. *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo.*

**H**IC modus loquedi apud Lucã proprius  
 aliqua explicatione indiget. Matth.  
 & Marc. verba Christi ad alteram spe-  
 ciẽ sic referût: *Hic est sanguis meus noui testamẽti: vbi*  
*absque vlla sermonis figura, quod in calice erat,*  
*Sanguis Christi esse affirmatur. Hic verò de calice*

NON non